COMMENTARIA
AD
CONSTITUTIONES
Apoſtolicas,
SEU BULLAS SINGULAS
SUMMORUM PONTIFICUM
In Bullario Romano contentas ſecundùm collectionem
CHERUBINI,

INCIPIENTES

A DIVO LEONE MAGNO.

AUCTORE

VINCENTIO PETRA
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALE
Tituli Sancti Onuphrii.

TOMUS QUARTUS.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

VENETIIS, MDCCXLI.
Ex Typographia Balleoniana.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

BENEVOLO LECTORI
PHILIPPUS RONDININUS J. U. D.
CATHEDRALIS ECCLESIÆ FAVENTINÆ
Canonicus Theologus S. P. D.

Miraberis, Lector benevole, meum huic prologuio nomen inſcribi, & de opere, quod Romæ prodit in vulgus, Roma abſentem præfari. Verùm ſi Auctorem noveris ſcribentem, nulla etiam longè diſſita eſſe loca, ſcias velim, quæ non pervaſerit inſigne nomen, ibique ingenii ſui planè admirabilis vulgata non ſint monumenta. Egregia itaque doctiſſimi Præſulis fama, necnon mea vetus erga illum obſervantia abſentem ab Urbe hominem ſtudio ſingulari mirificè incitavit, ut Romam deſiderio ſaltem rediret, ac velut præſens publico documento teſtaretur, quantum de re literaria diuturno vigiliarum ſuarum labore optimè mereatur, Legibus proficiat, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, Theologicæ Facultati, Pontificum Sanctionibus, ac proinde Canonici Juris Conſultis, atque Eruditis omnibus, qui in utroque foro verſantur. Quartum itaque prodit Volumen, neque adhuc extremum; perſuaſum ſiquidem Auctori fuit in primi Voluminis præfatione, quadringenta Commentaria, quæ prælo paraverat, quatuor Voluminibus abſolvi: Verùm adeò excrevit opus, ut fieri nequaquam potuerit, quin ad impoſterum edenda Volumina rejiciantur ea, quæ ſuperſunt promiſſa Commentaria. Id ſolùm in cauſa fuit uberiùs proficiendi ſtudium, quo publicæ utilitati conſuluit. Opus enim ampliori doctrina cumulavit, qua nimirum res omnes aptiori ſerie, faciliorique methodo luculenter digeſſit, atque ordinavit: quæque aut explicatione, aut confirmatione antiquæ Sanctiones, novarum acceſſione, indigebant, ſapienter advertit: univerſaque omnia priſcis, ac recentibus Romanæ Rotæ Deciſionibus, Sacrarum Congregationum noviſſimis Decretis, aliiſque hujuſmodi locupletavit. Hinc cauſa cur excrevit opus; hæc etiam erit exinde cur, quæ ſequentur Commentaria, aliquoties ad jam edita referentur. Biſcentum & ſexaginta ſex dumtaxat in quatuor magnæ molis Voluminibus comprehenduntur, & centum triginta quatuor ſupereſſent vulganda. At verò, quoad per vires, & curas licebit, præter oblatum numerum, per alia ſucceſſiva Volumina, Auctor ab opere non conquieſcet. Præſtolare igitur reliquum doctiſſimi Viri laborem, qui brevi quinque tantùm annorum ambitu, quatuor (quorum hic poſtremum vides) publico beneficio in lucem emiſit Volumina, quibus conficiendis ſedulam diu noctuque navavit operam, quam ex veteri ejus conſuetudine in literarum amorem, & in labores pronam numquam, ut otio indulgeret, intermiſit. Accedunt publica, quibus hodie diſtinetur, & cætera, quæ antea honorificè obivit, munera, unde Romanæ Curiæ plauſibus exceptus eſt ab ineunte ætate, qua Urbem coluit adoleſcens, tum apud Judices, tum apud eruditos homines, cum quibus in literariis exercitationibus dudum verſari conſueverat: quibus, Lector, profectò intelligis egregium Virum ad virtutem laboribus & vigiliis parandam natum; ac propterea neminem eſſe crediderim cordatum hominem, qui non ſibi polliceatur cætera, quæ deinde ſequuntur, volumina, Auctore ſoſpite, & incolumi, in lucem publicis litteris educenda. Nullus enim fuit illi adhuc ferianci locus, à quo primùm tempore immortalis memoriæ Pontifex Innocentius XII. in ordinem Signaturæ Juſtitiæ Votantium, ut vocant, in ipſo juventutis flore eum ſapientiſſimè cooptavit: quod nimirum inſigne Tribunal Sanctiſſimus Princeps viris integerrimis, ac doctiſſimis ſtatuit exercendum, quorum plerique graviora hodie ſuſtinent miniſteria. Congregationibus itidem adſcriptus erat pro tuenda Eccleſiaſtica Immunitate, necnon Vaticanæ Fabricæ, & Apoſtolicæ Datariæ, aliiſque pro rerum opportunitate convocatis. Septennio ferè elapſo, in Apoſtolicæ Cameræ Auditorio Juri dicundo præpoſitus eſt, muneri ſanè operoſo, ac multi laboris, quodque induſtriæ plurimum exigit, & doctrinæ: idemque jugi adeò, ac ſolerti opera adminiſtravit, ut in toto, quo illud implevit, ſeptenni curſu, uno neque die à munere forenſi vacaverit. Majora hinc ab Optimo Pontifice, & virtutis acerrimo æſtimatore CLEMENTE XI. Auctori doctiſſimo admota ſunt miniſteria; quem à Secretis inſtituit Congregationis ſuper interpretatione Tridentini Concilii, necnon Signaturæ Gratiarum Votantem; Inter Conſultores Supremæ Inquiſitionis adſcripſit, aliiſque ſuper reſidentia Epiſcoporum, necnon quæ ſuper Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſitæ ſunt, Congregationibus adnumeravit: ac propterea ingenti ac diuturna hinc inde ingruentium negotiorum mole diſtrictus, nullum adhuc feriandi tempus invenit. Verum communis utilitatis ſtudio incenſus, quidquid temporis à publico officio liberum datur, & quantum forenſes feriæ concedunt (quod in animi, corporiſque ſolatium, & ad virium tenuitatem reſtituendam, atque inſtaurandam, quæ jugi labore languere ſolent, conferendum eſſet) id totum in opus impendit: quod ideò impoſterum omni ex parte conficiendum univerſi literarum cultores exiſtimant, ſibique Auctor id brevi facturum confidit. His interim, Lector, fruere, & præſtantiſſimi Auctoris hactenus navatam operam debita laude proſequi ne graveris. Vale. Dabam Faventiæ decimo Kalendas Martii Anno MDCCXI.



COMMENTARIA IN CONSTITUTIONES APOSTOLICAS, ſeu Bullas SUMMORUM PONTIFICUM contentas in Bullario Romano.

CONSTITUTIO I.

JOANNIS XXII.
incipiens (*Ex parte.*)

EPITOME BULLÆ.

JOANNES. INQUISITORIBUS Hæretica Pravitatis per Regnum Franciæ Constitutis.

MAndat Inquiſitoribus, ut contra Hæreticos, vel de hæreſi notabiliter ſuſpectos, aut de ea accuſatos; itemque contrà Judæos converſos, à Fide apoſtatantes procedant, quamvis iidem ad Eccleſiam confugerint.

COMMENTARIUM.

SUMMARIUM.

1 *Refertur aſſumptio ad Pontificatum Joannis XXII.*
2 *Schiſma Ludovici Bavari, & Petri Corbarii Pſeudo Pontificis quam cauſam, progreſſum, ac exitum habuerit.*
3 *Vindicatur Joannes XXII. à Criticorum calumniis quoad ejus electionem, aliaque in Pontificatu geſta.*
4 *Ejuſdem virtutes, & obitus indicantur.*
5 *Referuntur diſpoſita in præſenti Conſtitutione.*
6 *Hæreſis quàm aliis criminibus gravior ſit, quamque graves pœnas promereatur.*
7 *Jure Aſyli gaudent Eccleſiæ pro omnibus delictis, præterquam contentis in Conſtitutione Gregoriana.*
8 *Hæretici privantur immunitate Eccleſiaſtica, & qua ratione.*
9 *Hæretici ſecundùm aliquos privantur immunitate, etiam in criminibus non exceptis, & numer. ſeqq.*
10 *Receptare Hæreticos prohibitum eſt, etiam affinibus, ac conſanguineis, & quomodo id procedat.*
11 *Verius eſt, Hæreticos gaudere immunitate pro criminibus non exceptis, & quid in locis, ubi Hæretici impunè habitare ſinuntur.*
12 *Bulla Gregoriana excipiens reos hæreſis, & aſſaſſinii, non privat eos immunitate quoad delicta non excepta.*
13 *Refertur, & refellitur quoad hoc ſententia Cutelli.*
14 *Hæreſis quantumvis minima totam fidem ſubvertit, ac quatenus hæreſes ſint inter ſe connexæ.*
15 *Hæretici reconciliati gaudent immunitate quoad delicta non excepta, etiam ante reconciliationem commiſſa.*
16 *Hæretici per Inquiſitorem ab Eccleſia extracti, poſt reconciliationem reſtituendi ſunt Eccleſiæ, nec debent dari Judici laico illos petenti pro delictis non exceptis.*
17 *Hæreticus ante cognitionem cauſæ hæreſis ferè nunquam gaudet immunitate pro delictis non exceptis.*
18 *Suſpectis vehementer de hæreſi non gaudent immunitate.*
Suſpecti notabiliter de hæreſi non cenſentur ii, qui ſunt ſuſpecti de levi. Ibid.
19 *Suſpecti de hæreſi an poſt Bullam Gregorianam gaudeant immunitate: & num. ſeqq.*
10 *Sub nomine reorum hæreſis an veniant ſuſpecti de hæreſi.*
21 *Conſtitutiones contra hæreticos nunquam abrogatæ, & ſæpius confirmatæ fuerunt.*
22 *Suſpecti de hæreſi poſt reconciliationem gaudent immunitate.*
Hæretici, aut de hæreſi ſuſpecti quatenus cenſeantur Eccleſiæ reincorporati. Ibid.
23 *Rei, qui poſt abjurationem peragunt pœnitentiam in carceribus Inquiſitionis, an gaudeant immunitate, ſi ad Eccleſiam confugiant, & n. ſeqq.*